



**A**ntiqua Pietas novum poscit argumentum. Facimus, qvod semper factum est: ac Novo tamen CONSULI sacrūm cupimus, qvod nunquam oblatum est. INSIGNIA laudamus ZITTAVIENSIA, qvorum laudes qvarto jam seculo possidemus: neq; tamen forte qvis ea vedit Hieroglyphica, qvæ novam gratulandi materiam exponunt. Sic optimè conspirat annorum felicitas, si prisca subinde fiant nova, ac in vetere velut arbore novam admiremur maturitatem. Felicem diximus HARTIGIUM, qvod à STOLLIO non fasces, sed ipsam anni similitudinem videretur accepisse. Felicem dicemus GIRISIUM, si nunc annum ingrediatur Hartigiano non detriorem. Idem sit annulus, diversa gemma: similis undiqvaq; prosperitas, varia gratulatio. Aliis verbis proferamus, qvod eodem affectu penetrabit in animos Patronorum. Nova pictura commendet Clypeum, ne prisca nobis gratia decedat.

Verum id præ cæteris novum sit, qvod in Anno Gymnasii Jubilæo acclamations tendunt ad GIRISIUM. Is PARENTEM habuit CONSULEM ET SCHOLARCHAM, cum ipso nostro Gymnasio natum. Seculum est, qvod florere cœpit Gymnasium: Seculum est, qvod vivere cœpit Senior GIRISIUS. Et, qvia Parentes vivunt in Filiis, Jubilæum nunc est Girianum. Consulem non haberemus, nisi Annus Scholæ benignus, huic Familiæ fuisset fœcundus. Nunc nobis non renasceretur in Curia CONSUL REGENS, nisi tum natus in hâc urbe fuisset CONSUL futurus. Ita prospectum à Fatis, ne cito periret Jubilæi memoria. Non morietur nuperi Veris solennitas, qvæ vitam recipit in hoc Autumno. Ipse crescat Scholæ favor, si communem habeat plaudendi occasionem: Eiq; propior esse putabitur hæc sedes, qvia propinqvam habuit nascendi sortem.

Sed ulterius vivat cum Gymnasio, cujus vita frui cupiunt nati ad imminens seculum surculi. Audiatur hoc nomen, ubi nunc Circulus annorum inchoatur novus, & saepe redeat Scholastica hæc gratulatio. Tardè obliviscamur GIRISII, ac, ut oblivionis genuinum adsit remedium, diu superesse jubeatur. Patriam sustineat Consilio, juvet auxilio, firmet labore. Qui multis profuit, multis profit: qvin & spem multis profuturam sustentet imposterum. Salva sit cum hoc SENIOR CONSULUM Triga. Semper sibi succedant, sero habeant Successores. Adsvetæ tantis NOMINIBUS Musæ, singulis annis repeatant cantilenam: BENE GIRISIUM, BENE HARTIGIUM, BE-

NE

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARIES